Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8408
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

.iij.

tempore qui cantabat. Cum dives invidens et
et quantum malum avaricia posset probare volens testi-
bus adhibitis clam de sero in domum illius magnam
denariorum fundam proiecit quam ille mane surgens
dum invenit sic totum cor suum ibi posuit quod pe-
nitus a cantu cessavit et tristis tamdiu am-
bulavit quousque ille fundam suam repetiit. Nar-
rat et Horacius quod fuit quidam Rome barbarus vul-
teius menna vocatus qui tam diu in sua staciun-
cula pauper stetit semper in leticia erat ita quod ei no-
biles divites invidebant. Cumque a quodam domino
philippo deceptus esset et oves et boves et plu-
rimam terram ad laborandum accepisset tanto tedio
non post multum affectus est quod omnibus derelictis
ad illum dominum rediit atque ait. Obsecro te domine et
obtestor vite mee redde priori. Sexto paupertas
est uniuscuiusque hominis directiva. Nam paupertas
modo plante sive arboris se a terra erigit et
caput usque celum in sublime attollit nec umquam ad
terram caput deflectit. Arbor enim ex triplici causa
invenitur esse composita scilicet cortice ligno et me-
dulla. Nam plante medulla mediante sursum
a terra erigitur et sustentatur. Sed eo cortice mediante
super exteriora omnia nocumenta defenditur. Sicut
enim super librum deplorantis dicitur. Arbor habet corticem pro
pelle ligni pro osse et medullam loco vene. Virga
ergo sic a terra erecta et versus celum elevata cum ra-
dice sola est terre infixa ut attrahat sibi vite ne-
cessaria quia paupertas nihil ultra querit quam quod vite
necessarium. Est ergo notabile quod virga ex quo de
terra ascendere incipit se versus celum se erigit
et numquam ad terram ulterius caput flectit ymo si vio-
lenter a terra curvata fuit mox dimissa se eri-
git terram fugit et celum petit. Sic vera paupertas
christiana continens sola celestia petit. Est etiam
notabile quod planta quanto plus crescit tanto plus se a terra

168